



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Quando dolus non trahentis dat causam contractus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

ptor rem eandem alibi fuisset empturus. Certum præterea, re integra, hoc est, existente adhuc re tradita, re in re gravi obligari ad rescindendum contractum, & ad reddendum totum pretium. Certum denique est, re debere rescindi omnia damna fortè ex tua deceptione consecuta. Quæ omnia patent ex Regulis generalibus de restitutione.

De fraude, & dolo interveniente in ipsa venditione.

11. Celebris est hæc difficultas, ac millies agitata, nam propterea eam omittere decrevissem, nisi inæconomica iudiciali, alibi amandare lectorem meum in re valde necessaria, & frequentissima, & quod reputetur ita implexa, ut testetur de Lugo tom. 2. de iustitia disp. 22. sect. 6. num. 87. sine, etiam Sanchez clarissimum alius Doctorem hac in re variè, & obscurè locutum esse.

12. Advertendum ergo est primò: Cum aliquis rem vendit pluris, vel emit minoris, quam ea valeat, duobus id modis facere potest. Primò, ignorans iustum rei pretium; & tunc dicitur deceptio in re ipsa intervenire, & non à proposito. Secundò, sciens, & deceptio tunc dicitur à proposito. Rursus hæc, quæ est à proposito, interdum fit cum dolo, ut cum quis aliquid fingit, vel mentitur, unde alter decipiatur; interdum sine dolo, ut cum quis absolute rem vendit eo pretio, quod sit supra rigorosum, nihil tamen fingat: quo pacto eumentem decipit quidem, seu damnicat à proposito, sed sine dolo.

Advertendum secundò: Eiusmodi dolo, vel etiam error potest accidere, vel circa substantiam rei venditæ, veluti si putes te emere aurum, & emis aurichalcum; vel circa accidentia, veluti si putans emere vinum verum, vel equum sanum, emas vinum novum, vel equum claudum. Quid intelligatur hic nomine substantiæ, & nomine qualitatis, explicabitur mox num. 17. clariùs.

13. Advertendum tertio: Ipse dolo, seu error substantiæ, vel accidentium dupliciter potest intervenire in contractu. Primò, ita ut dolo, vel error det causam contractus, id est, si error, vel dolo non adesset, nulla ratione iniretur contractus. Secundò, ita ut incidat in contractum, id est, patiens illum dolo, vel habens illum errorem, contraheret quidem, sed non tanto pretio, verbi gratiâ, emisset quidem illum equum, etiam si scivisset esse claudum, sed viliori pretio? Id, quod ex conscientia, & verbis, seu scriptura patientis dolum, est conciliandum. Subadvorte, dolum posse provenire, vel ab aliquo ex contrahentibus. Vel ab aliquo tertio, sciente & consentiente ipso contrahente. Vel denique ab aliquo tertio, nihil scientibus ipsis contrahentibus: Quando tertius est Procurator; Tutor, negotiorum gestor alterius, non dicitur verè tertius, sed cum faciat unum cum ipso, dicitur unus ex contrahentibus.

14. Advertendum quarto: Quando venditor non recipit dimidium iustæ æstimationis, ut si res infime pretio valeat viginti, ipse autem vendat novem, dicitur decipi infra dimidium? At verò, quando emptor solvit plusquam dimidiam partem iusti pretij; ut si res valeat rigorosè decem, ipse emat sexdecim, dicitur esse deceptus infra dimidiam, ut per occasionem num. 1. item innuimus. His præmissis, sint hæc tres regulæ.

Regula prima: Quando dolo contrahentis dat causam contractus.

15. Si dolo sive gravis, sive levis (lege de Lugo tom. 2. de iustitia disp. 22. sect. 7. num. 142.) vel error, sive in substantia sive in qualitate, seu accidentibus det verè causam venditioni, vel cuicunque contractui bo-

na fidei, & dolo proveniat ab altero ex contrahentibus, vel a quocunque tertio cum contrahentis consensu, Molin. disp. 259. & 32. Fagundes de contract. lib. 1. c. 1. & alios citatos. Præterea, Contractus est invalidus utroque foro: (lege Lessium lib. 2. cap. 17. disp. 3. & que apud de Lugo tom. 2. de iustitia, disp. 22. sect. 6. num. 87. o. quâvis horum aliqui dicant esse relictum, dum huic contrahenti, aliqui, esse ex iure naturæ, & ex una parte.) Excipit semper Matrimonium, quod validum est, quando non est error circa substantiam, de num. 24. Secundò: Datur deceptio, non deceptio, deceptio, vel contractum relinquendi, vel eidem contractui compensatione eius, in quo ipse innocens fuit. Tertio: Idque etiam si deceptio sit ultra, ut in dimidium. Ratio primi est, quia ubi deficit consensus, deficit contractus: at hic omnino deficit consensus, enim est dolum dare causam contractui, ut dicitur num. 13. Ratio secundi est favor, qui debetur innocenti. Ratio tertij est, quia sic meretur (etiam in foro canonico) qui dolosè agit. Immo autoritate propria, et ante iudicis sententiam ipsum resistere à contractu potest, si velis, mihi dubium non est: quia ubi nullus fuit consensus, ibi repellere contractum proprio iure potest.

Dixi autem contractui bonæ fidei contractum stricti iuris in casu hoc, quando dolo dat causam contractui, validos esse, sed rescindendos, multorum fuit opinio, id, quod lege apud citatos Doctores, & ego innuimus, num. 24. c. 6. §. 2. n. 5.

16. Quid, si error sit in substantia, vel quædam dantibus causam contractus, sed nec aliquo ex contrahentibus, nec alio tertio dolum machinante? Respondeo, si sit error in substantia, nullus est contractus, quia nullus est consensus, ut patet ex dictis de contrahentibus in genere, si sit in qualitate, dicam mox in materia prima.

17. Quid hic intelligatur nomine substantiæ, & nomine qualitatis? Respondeo, id per maxime refert cognoscere, ne in multis erroribus prolapsi. Certum est ergo non intelligi hæc physice: Si enim tu velles emere equum ad iter multorum dierum, vel ad pælem gignendam; & loco equi juvenis daretur tibi equus annosus: Certè non esset deceptio in substantia physica, & tamen esset error in substantia in re nostra.

Et quamvis in matrimonio deceptio illud irritans sit, quæ affert errorem in persona, & substantia physica, & perquam in qualitatibus, quando hæc refunduntur in errorem personæ; (de hoc vide Basilium Pont. lib. 4. de matrimonio, cap. 2. & ibid. citatum Themam Sanchez, & Agidius), at in aliis contractibus magis latè patet deceptio in substantia: ita nimirum, ut nomine substantiæ intelligatur illud obiectum, quod principaliter, & fere adequatè movet hominem ad contrahendum: nomine qualitatis, illud, quod minus principaliter. Quia si notabiliter res differat ab obiecto à te intento, & cogitato, dicitur adesse error in substantia: si differat leviter, dicitur adesse in qualitate. Affert Sanchez lib. 4. summ. cap. 2. num. 11. in simili dum exempla, & alia non attulimus sup. lib. 3. cap. 13. cum de voto, quem locum relinquit. Si quis enim voveret Religionem, putans in ea carnes solere comedi, si inveniat in ea perpetuam illam abstinentiam, error erit in substantia Voti, quia notabiliter Religio inventa variat à Religione à se cognita, & intenta, atque adeò irritum erit votum: Sicus, si inveniret semel, verbi gratiâ, in hebdomada jejuniâ, quia non notabiliter variat, &c. Patet modo, si quis decipiens dicat Romam parum distare, & ideo eius peregrinationem voveas, deciperis in substantia, si multum distet; at deciperis in qualitate, si non multum distet ab eo, quod dictum tibi est. Advertit tamen idem Sanchez illud (parum, & multum) debere sumi respectivè, non absolute, siquidem respectu nobilis puellæ, multum quid erit distantia pedestris decem milliariorum.

milliarium, quæ non erit respectu ratiocii; & in magno
minore parva deceptio erit illa, quæ magna reputabi-
tur in parvo. Si enim, v.g. cognos. locum distare per
vicesdecim miliaria, cum distet per triginta, magnus
est error, & substantialis: At si putes distare per tre-
centa, cum distet per trecenta & triginta, parvus
est error, & in qualitate. Ex his igitur in casu nostro ille
error, vel dolo erit in substantia, qui te decipit no-
tando, quod rem cogitatum in ordine ad contractum
em celebras: qui leviter decipit, erit error in qua-

*Regula secunda: Quando dolo contrahentis incidit
in contractum.*

18. Si error, vel dolo non det causam contractui,
sed in contractum incidat, quamvis alter contrahentium
illo communicaverit, illumque sciverit, contractus
est validus in utroque foro. Teneatur tamen decipiens re-
ducere contractum ad æqualitatem, atque omnia damna
decepto refarcire. Ita Molin. 352. §. quarta conclusio. Less.
lib. 1. cap. 7. d. 15. num. 28. Fagund. l. c. lege c. delicti, de em-
ptione. Ratio est, quia hic adest consensus ad rem, seu ad
substantiam, & solum deest ad accidentia, hoc enim est
dolo incidere in contractum, ut num. 1. explicuimus:
ergo non est cur non sit validus contractus. Debet ta-
men, ut dictum est, reduci ad æqualitatem, supplendo
de pretio, quod deest: unde fit, ut si sit deceptio ultra
dimidium, adhuc sit validus contractus, sed supple-
mentum afferre etiam per forum externum compellatur
decipiens, nam si deceptio non fuerit ultra dimidium,
solum compellatur per forum internum, ut num. 1. vi-
dimus.

*Regula tertia: Quando dolo tertij dat, vel non dat
causam contractus.*

19. Si error est in qualitate (nam si est error in sub-
stantia, ut si habas vitrum pro gemma, iam ex regu-
la generalis dicta num. 15. semper contractus est nullus,
quia nullus est consensus) si inquam, error est in quali-
tate, æque inductus à tertio, nihil scientibus contra-
hentibus sive error, vel dolo non dederit, sive dederit
causam contractui, Contractus est in utroque foro va-
lidus. Ita Less. Fagund. Molin. citati. Secundò, datur
ratio deceptio, ut possit agere contra tertium decipien-
tem, tum de damno, tum de dolo. Tertio non datur sa-
tis deceptio relinquendi contractum, sed solum pec-
candi supplementum pretij, si quod fuit. Ratio, primi
dicitur est, quia, quando in contractibus oneratis dolo
est inductus à tertio, immò etiam, quando ipsemet con-
trahens sua falsa opinione se decipit, adest sufficiens
consensus ad contrahendum: omnes enim ex Fagund.
lib. 1. de contrah. cap. 42. num. 16. implicite se intendunt
obligare, quoties ipsi contrahentes non participant
de dolo, nisi enim sic intendatur, nullus unquam
contraheret, essetque continua discordiarum semina-
tio, cum possent semper homines dicere se deceptos
esse, se, si seivissent, non contracturos fuisse, &c. nam
propter eandem rationem, quando bona fide duo con-
traherent, nullo dolum machinante, si deceptio sit in
pretio, erit validus contractus, sed solum agetur de
supplemento, &c. Ratio secundi est indemnitas dece-
pti: Et adverte inter cetera damna esse etiam excessum,
quo patiens dolum emit rem, quam similem minoris
emisset alibi, ut manifestum ex se est. Ratio tertij est,
quia si in hoc contractu est sufficiens, licet implicitus
consensus, ut diximus, constabit contractus, quare non
erit ratio, cur rescindatur.

20. Scio Lessium lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 33. loquen-
do, quando res est integra, quod certe non est impro-
babile, putare esse rationem, cur rescindatur, atque
ad hoc deceptum posse in conscientia, antequam à
iudice cogatur, non stare contractui, quia ipse non con-

sentit absolute, iuxta l. 77. ff. de contrahenda emptione
Non consentit enim, nisi posito dolo illius tertij. Verum,
hæc lex non obstat nostro dicto, neque hæc ratio. Non
ratio, quia hæc solum militat quando in dolo commu-
nicavit alter ex contrahentibus, & militat etiam in do-
nationibus, & promissionibus merè gratuitis, ut in lega-
tis, institutione hæredis, & similibus, quæ irrita sunt, si
error contingat circa causam, & motivum principale do-
nandi, unde cumque proveniret error; non vero militat
in emptionibus, & venditionibus propter rationem
modò à nobis insinuatam num. 19. in ratione primi di-
cti de Fagundez l. c. item Molin. tract. 1. de inst. d. 209.
& Sanchez in Decal. lib. 4. c. 2. & de Lug. tom. 2. de inst. d. 22.
lib. 2. n. 69. & 89.

Notationes quatuor circa prædicta.

21. Notatio prima: Si emens dicat expressè in hunc
modum: Si vinum non est vetus, nolo illud à te emere (idem
puto, quia æquivalens est si dicat: *Vende mihi vinum ve-
tus, vel illius loci*) contractus nullus erit in casu, quo de-
prehendatur vinum non esse vetus, nec illius loci, etiam
nullo præcedente dolo venditoris, vel alterius, quamvis
sit error in sola qualitate. Ita Dicastill. lib. 2. de inst. tr.
3. d. 1. dub. 6. & tract. 8. d. 4. dub. 1. num. 5. sine. Ratio est,
quia in hoc casu consensus fuit conditionatus, quare,
conditione non posita, nullus fuit consensus; nisi
forte adsit aliquando consensus implicitus, id quòd
evenit, quando dicta res accepta est eiusdem substan-
tiæ, eiusdemque bonitatis, utilitatisque cum illa, quæ
à te expetita fuit: at si vinum novum sit æquè bonum,
ac vetus; Dixi (eiusdem substantiæ) nam si esset di-
versa, ut si esset oleum pro Vino, nullus est contra-
ctus, quamvis tu, si seivisses esse oleum etiam emisisses:
quia tunc tuus consensus nunquam fuit circa substan-
tiam olei.

Si verò eiusmodi venditionis contractus cum errore
circa qualitatem, nequaquam sub prædicta, vel simili
conditione fuit celebratus, nullo dolo præcedente, valia-
dus erit contractus, ut si emens dicat: *Vende mihi vinum,*
intendens emere vetus, cum tamen postea deprehendat
esse novum. Ratio est clara ex dictis, quia hic adest con-
sensus ad substantiam, error enim solum est in qualitate,
quæ, quia hic loquimur nec emptio facta est sub conditio-
ne, quia voluntas ementis mente retenta nihil operatur
nec ex alia parte præcessit ullus dolo; ergo ex nullo
capite infirmabitur emptio, quantumcunque dicat hunc
emptor, si seivisset, non emissem; atque, si iusto
pretio emptum est vinum, nihil est præterea supplen-
dum.

22. Notatio secunda: Quando dolo dedit causam
contractus, & univèrsaliter, quando decipiens ementem
decepit: obligaturne semper idem decipiens monere de-
ceptum de dolo, ut si velit rescindere contractum, test-
eindat, vel supplementum pretij accipiat? De dolo posi-
tivo agimus: nam de dolo negativo, id est, quando ven-
dens nihil dicit, non tamen revelat vitium occultum
rei, quam vendit: dicemus mox à num. 32.

Respondeo, si res non est integra, verbi gratia
emptor iam bibit vinum, non est venditor obli-
gatus monere. Ita Molin. 352. circa finem; quia super-
fluum id esset, solum igitur suppleat pretium: quòd si
pretium fuit æquale, ad nihil obligatur, sed solum ad
pœnitendum de peccato doli secundum eius gravita-
tem. Si res est integra, erit distinguendum, nam si
res æque illi emptori utilis est, non obligabitur vendi-
tor monere, quia, licet emptor involuntariè emerit, nunc
verò rem habendo æque utilem, potest præsumi ipsum
assentiri, vel certe non valde esse invitum ad eam reti-
nendam. Sed in pretio debet semper fieri æqualitas, ut
certum est. Quod si non est æquè utilis, vel saltem
fere æquè, aderit certe obligatio monendi, & rescin-
dendi contractum: quia si est in te gravi, sicuti gravi-
ter decepsisti emptorem, sic graviter contineres in
deceptione